



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvit̃s, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

27. Sabbato Domin. 2. Epiphan. Præmia observantibus, pœnæ
negligentibus Præcepta Domini.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

brai: quia nemo potest exponere in poenam, quod non est suum: & quia actus juramenti est actus Religionis, & quidem patriæ, sollicitur Deo debetur. Quod autem his abundantius est, à malo est, id est, à dæmone mendacij Patre, ut explicat D. Chrysoft. hominesque proni ad mendacium facile perjuriū committerent, cujus fiebant rei etiam idololatræ, Sap. 14. licet erroneâ conscientiâ.

Conf. 3. Cùm juramentum sit velut medicina, quæ tantū ex necessitate est bona, alias noxia, ut bonum sit juramentum debet fieri cum justitia, quia in malo non obligat juramentum: debet fieri cum veritate, quia falsum sit perjuriū: debet fieri cum judicio, nec temerè, nec sine urgenti necessitate. Reflectam me, an verè audeam dicere: *Juravi, & statui custodire judicia justitiæ tuæ: Psalm. 118.* & quomodo, si quæ vovi Deo, expleam,

MEDITATIO XXVII.

Sabbato Dom. 2. Epiph.

Premia observantibus, pœna negligentibus præcepta Domini.

Aspiciam D. Iesum manu dextrâ observantibus legem suam præmia porrigentem, manu sinistrâ pœnas negligentibus minitantē. Petâ esse ex observantibus legē Dei.

Conf. 1. Divini Legislatoris potestatem: cum

cum enim nemo audeat ad legem Dei addere, vel ab ea tollere quidquam nisi solus Deus legis Dominus: *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.* Deut. 4. Christus autem Dominus abstulit omnes figuras, ut Sol tenebras, & addidit legi perfectionem, ita ut ipsa perfectio præcepti sit præceptum. *Nisi abundaverit iustitia vestra &c.* Matth. 5. Hinc constat Christum Deum esse.

Conf. 2. Minas, & pœnas violatoribus legis infligtas: quia tripliciter Christi præcepta solvuntur, vel ijs non credendo, vel ea non observando, vel alios in errorem ducendo, quibus omnibus Mat. 3. 4. 6. 7. 23 minatur exilium a coelo, carceremque inferni: ubi eos triplici ordine collocat: alij vocantur *minimi*, qui docent, & non faciunt, *minimi non in Regno caelorum* (sed in Ecclesia adhuc militante, quæ etiam aliquando vocatur *Regnum caelorum*) quia si delinquant in ijs, quæ graviter obligant, in coelo non erunt, quales erant Pharisei, qui dicebant, & non faciebant, id quod duplicis fuit iniquitatis, simulando, & se coram hominibus justificando, Luc. 16. ubi minuta quædam ad superstitionem usque observabant graviora legis relinquebant, iudicium in causis, misericordiam in Pauperes, fidem in Deum, Mat. 23 jejunabant, & orabant, dabantque elemosynas ex
vana

vana & damnata gloria, propter quam nec fidem Dei admittebant, unde audierunt: *Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab i. vicem accipitis?* Joan. 5. Alij vocantur *minores*, qui nec faciunt, nec docent. Tertij vocantur *infimi* omnium, qui malè faciunt, & docent.

Conf. 3. Promissa, & præmia observantibus legem Dei: datur enim ijs vita æterna, & in cælo duplici ordine collocantur. 1. loco sunt *magni*: *Qui fecerit & docuerit magnus vocabitur.* Matt. 5. 2. sunt *parvi*, qui tantum fecerunt & non docuerunt legem Dei, quibus etiam Dominus ait: *Pater reddet tibi*: quid illud? cogitari potest, dici non potest. *Colloquium* de more, præsertim ad B. Virg pro tã sancto consilio: *Quodcũq; dixerit vobis, facite*: Joã. 2. renovatis hujus septimanæ propositis.

MEDITATIO XXVIII.

Dominica 3. Epiph.

Quomodo ad SS. Eucharistiam accedendum.

Videbo Centurionem coram D. JESU se humiliantem. Petam eum imitari in accessu ad SS. Eucharistiam.

Conf. 1. Verba Centurionis: *Domine, inquit, non sum dignus*: ob defectus naturales, quia natura mea infinitæ tuæ, nullius indigæ, & absolutè perfectæ impar est. 2. ob peccata,